





**HERCULES ET CAROLUS  
UTERQVE  
IN  
CAROLO III.  
AUSTRIACO  
HISPANIARUM & INDIARUM  
REGE CATHOLICO  
REDIVIVUS.**



**H**Annibal ad portas! Hercules ad statuas! CAROLUS ad Hispaniarum oras! Etenim post auditum hæcenus horrifonum tympanum tubamque terribilem, post fremebundas clypeatasque hostium hospitatas cohortes, post tormentorum ignivomorum ensiumque rebellium crudelitatem, post desolatam elegantes veteris Austrasiæ villas, post destructa antiqua Palatina Palatia, post perditas divitum Svevorum antiquitates & reliquias, post devastatos ipsos Elyfios Latii campos, post pressam libertatem Hispanicam, post Gallorum in ipsum Germaniæ umbilicum irruptionem, post turbatam è quatuor Mundi plagis multiplici modo Imperii Rom. tranquillitatem, post impostum à peregrino hæcenus hospite Marte pietati, moribus & legibus silentium, post multa novercantis fortune hæc fata Mavortia Europæ ingruentia, post Asiæ & Americæ contagiò bellicòsò læsam, post Africam horrido tumultu trementem, post nova indies Bellonæ monstra & mala Lernæ à Gallorum Hydra hæcenus procreata solâ; Regibus dolentibus, Principibus lugentibus, Regnis argentibus, Regionibus plangentibus, prosperiora tandem Cælum, è quo Salus ut mortalium omnium, ita & Regum & regionum pendet, mortalium votis spondet fata, spondet tempora tranquilla, Halcyonia, novaque post nubila júbila.

Exoptata dies votis jam sæpe petita,  
Tranquillum spondens advenit Halcyonum.

Venit hora, quâ non per pacem Rysfvicensẽm & Neomagensẽm òminosò nomine fatalem iteratam, quâ non per Herculem Ethnicum, Ethnicorum Hydra, Lernæ, sed Hercule fere Majorem, novum Herculem, novum CAROLUM, scilicet III, Potentissimum Hispaniarum & Indiarum Monarcham

Sol caret occafu cujus in Imperio;

magna jam dicta Hydra Bourbonia tandem aliquando felici aggressu, feliciori successu superabitur.

Herculem Jovis ex Alemanâ Electricis filiâ Filium, Phœbi nomine & XII. signis dignum, nec non XII. laboribus tantum, quàm trium virtutum præ aliis genere, mansuetudine scilicet, libertate & castitate celebrem, enecatis, tricorpore Hispaniæ Rege Gerione, Thraciæ Diomede, Nemæneo Leone Gigante Antæo, Minotaurò horrendò, non tantum Calpen & Abylam montes conjunctos separasse, Augiæ stabulum repurgasse, Hælionem Reginam à portentis marinis præservasse, sed & fessò Atlante cælum tandem portasse humeris credebat Gentilium superstitiò & fabula.

En! CAROLUS noster III & LEOPOLDI MAGNI, qui Jove unò cœlesti minor  
est quò justior alter  
nec pietate fuit, nec bello major & armis.

& ELEONORE M. Electoris filiæ Filius, & ipse Posterorum Herculis (si ab Anticyrò Megapolitanorum primò fundatore derivaveris) unus instar omnium, re & nomine Phœbus vel Sol appellatur, radiis & clementiæ & felicitis Imperii & consilii recreaturus tam Zodiacum XII. Regnorum Hispaniæ, quàm orbis universi; Sol  
hic

hæc tanquam lumen Majus & nobilius non tantum utramque Lunam Mahumedi-  
cam & Byzantinam & Fællanam, sed reliquos etiam obscurabit ignes minores;  
Sol est Jovi sacrum & dedicatum sidus, Soli & Jovi verò inter volucres Aquila; Ju-  
piter Rex dicebatur Deorum, Sol Stellarum, Aquila volucrum; En compendium  
tantorum admirabilium, en complementum tantorum incomparabilium in solò no-  
strò CAROLÒ III, tanquam in Epitome possidet Europa, accipit Hispania, produxit  
Germania, & novum Monstrorum Anti cæsareorum Domitorem nobis educavit  
AUSTRIA,

Austria, quæ Sol est, Soles & possidet ipsa.

Qui & novum Gerionem Gallo-Hispanicum, & Leonem Sveziv Avarum, & Gal-  
liæ Diomedem vel Antæum & Celtarum Basiliscum, & monstrum informe, in-  
gens, cui lumen ademptum, Minotaurum Iberum Portocarero, subjugando vin-  
cendoque ac combinatas contra genium ingenium consuetum tam Creaturarum  
Gallo-Hispanicarum, quam montium Pyræorum naturas sejungendo, non Aug-  
ustæ solum Castilicæ repurgabit stabulum, Magnæ Britannæ Palladem jure talio-  
nis & gratitudinis contra insidias Monstrorum Gallicorum aliquando asisset, Cer-  
berum Africæ tricipitem ligabit, sed fesso etiam Atlante nostrò Europæ LEO-  
POLDO invictissimò, tanquam novus Atlas cælum salutis universæ portabit  
humeris, levabitque.

De Hercules Europæorum Christianò pari haud pluribus impari CAROLÒ scilicet  
Utroque & Magnò & Quintò omnibus, qui historiarum in cognitione non sunt  
hostes, notum, Hispaniâ & Pannoniâ liberatâ, Longobardorum desiderio, &  
postea Franciscò Gallorum superatò, Egelandò Saracenorum Rege captò, Impe-  
ratore Turcarum profligatò, Afris victis, Italisque in obedientiam redactis, in-  
numerabilibus victoriis & triumphis partis, pacificorum, victorum, justorum, liti-  
ratorum literatorumque amatorum accepisse nomen, & plura fortitan fecisse ac  
vicisse, nisi inexplicabilis factorum providentia plus & superandum & vincendum  
novo huic CAROLORUM PHOENICI, pluribus trophæis digno judicato reliquis-  
sent, unâ refundendo vice, quod in his & multis aliis Austriæ Heroibus olim &  
hactenus abstulit, vivaque simul doceret Mundum experientia à tanto virtutes  
& victorias Majorum superante Heroe, in quò velut in compendio concentra-  
tum omne præclarum, quicquid & in Hercule Ethnicò, & in Hercule Christianò,  
utroque scilicet CAROLÒ, & in Majoribus aliis illustribus, & in invictissimò Paren-  
te admiratur & stupet terrarum orbis, quo ultra nemo vota proferre, nec alius  
humanæ virtutis & foris fastigium scandere potest.

Silete primævi Græcorum Heroes, qui quicquid virtutum possedistis, vi, ty-  
rannide aliorumque vitiorum genere conspurcastis, de quibus sine cade & san-  
guine pauci

Descendunt Reges & siccâ morte Tyranni.

Sile Roma urnas Imperatorum tuorum & cineres, quorum Gloria malorum vi-  
tio simul concremata & reducta in cineres.

CAROLUS noster non ætate, non argutiis, non tyrannide, sed Deò adjuvante, Ju-  
stiniæ auxiliante, virtute Duce, fortuna obstetricè, gloriâ Comite, Regna cepisset,  
quæ Deus & justa causa offerunt, quæ legitimè Pærens & Frater cedunt, quæ Ma-  
gnates & Populi tradunt, pressa quidem ab hoste hactenus palma, sed jam onera-  
ta refurgit,

alma licet virtus adversâ forte prematur,  
Pressa tamen victrix altius ire solet:

non timet pericula virtus, & quò tendit, non quid passura sit, cogitat, marcet sine  
adversariò, crescit in adversis.

Tace Hannibalem Carthago tuum, quamvis verum sit Nepotis, quò nemo dubi-  
tat, quia populus Romanus omnes gentes virtute superavit, nec iniiciendum, Han-  
nibalem tanto præstitisse cæteris Imperii prudentiâ, quantum populus Romanus  
ante-

anteceffit cunctas nationes, victum tamen tandem vicisti; Jam Hannibal invincibilis in portu portæ, & ad portas portumque Hispaniarum, superaturus Gallos, qui se totum vincere orbem natos frustra credunt, vaneque jaclitant, quibus de Germani tollent Equites peditesque cachinnum.  
parturire enim qui hætenus voluerunt montes, ridiculum procrearunt murem; Tremisce igitur Gallorum turma, contraheque vento hætenus minus secundo turgida vela, senties jam

iratus Gallis quantum nocebit Achilles.

De tuò enim Galle jam ludetur coriò, qui hætenus fatis illufisti aliis, porta portusque Hispaniarum patebit soli impoferum CAROLO, tibi claudetur; fat voce tua, qua cantasti, rauca & funesta, (quæ pro incurabili symptomate luis Gallicæ seu veneræ Medicis audit,) dies noctesque odiosus fuisti, Bellonæ undique listasti, paces fregisti totum orbem clamoribus, rumoribus, furoribus implevisti, iniquè injusteque Hispaniarum Monarchiam usurpasti, injuriis, machinationibus, conjurationibus, Germaniam, imò totam Europam ipsam afflixisti, novum nodum Gordium Cantibericum seu Gallo Hispanicum jactando, sed tandem, fat cito, si fat bene, metam tuæ arrogantiae, tuæ astutiae, tuæ hostilitati ac bellandi cupiditati ponet ALEXANDER noster AUSTRIACUS, alter MAGNUS, Gordiumque tuum persequabit nodum, partiumque nuntio, verbo, & consilio, partim ense consilia destruet tua, dirimet tua Regna, tua foeda foedera, atq; longe exoptatum tot injuriarum, tot arumnarum, tot bellorum myriadibus, pace datâ afferet finem; Excujus subitâ rerum vicissitudine tota Europa gaudium, cujus nescit moderamen, capesit, lætatur Neapolis, ovat Sicilia, plaudit India, exultat Hispania, plebs subdita gratum immolat animum, monteque dudum supplex exofculatur limina throni, Magnates elevant voces, elevant porriguntque manus devotas novo huic Hispaniæ Recuperatori, novo Hadriano, novo Carolo, cujus virtutis & indolis festinatîo amales ante verticiles, cujus ingenium & rerum gloria ante pilos venit canos,

Ante animumque gerens curamque virilem  
Lumen de patriis luminibusque Decus.  
Quamobrem, Rex Potentissime, Rex Catholice!  
Maçte novâ virtute tuâ sic itur ad astra,  
Per varios casus, per tot discrimina rerum  
Advenis in Regnum, sedes ubi fata quietas  
Ostendent tandem!  
Aggredere o Magnos aderit jam tempus honores,  
Magna DEUM soboles, magnum jovis incrementum.

Accipe tot oblata sceptrorum & coronarum diademata, nec dicatur Tibi à summo Regum Rege Regias purpuras circâ illustres tuos humeros ponere revisa; Tibi DEUS, qui ex ipse coeptis tuis adspirat, offert quæ offeruntur, Justitia evincit, Hispania vindicat, Germania Prospicit. Tecum est Potentissima Regina Anna Britanna, altera Mater; Tecum concordēs Batavorum Sciluri Prapotentēs, Tecum numerus sacer Ternarius Fridericorum Potentiss. Europæ Regum, Austriæ fidorem semper Achatum; Tecum Petrus Portugalliæ & sanguine & armis junctus Rex, clavis vel petra propositi tui. His & toti Orbi fortuna tua cura est, in Te enim spes & solatium ut horum, ita & totius fere Europæ situm; Age! Majorum Tibi Gloria lumen sit. Te Pater Aneas & avus Anchises & avunculus excitent Hector. Ago cum Augusto sine cade & sanguine Regnum capesse, cum Macedone gloria atque benevolentia firma, orbem Martiali tempestate naufragum serena, Hispanis praesidio, Germaniam consilio, Europam auxilio recrea & quæ turbatam accepisti Hispaniarum Monarchiam, tandem aliquando, vitæ, bonorum, honorum & coronarum sature, sanata & pacatam cura relinquendam,

Et Magno & Quinto Carole Major eris.

L. JOH. GERHARDUS GRÜNINGIUS,

Stolberg. Thüringus.



Ung VI 3

W 18  
V 17







ES ET CAROLUS  
 UTERQVE  
 IN  
 LOLO III.  
 STRIACO  
 RUM & INDIARUM  
 CATHOLICO  
 REDIVIVUS.

